



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Saxonum antiquorum per Anglos conuersio. Cap. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

C H R O N I C A

tos ab idololatria ad fidem Christi conuertit, potissimum Brabantos, apud quos etiam Furæ obijſſe fertur, inter Louanium & Bruxellas. Anno septingentesimo decimo, cælitus admonitus, corpus sanctissimi martyris Lamberti, & sedem episcopalem transtulit ad villam Legiam, quæ martyrio, miraculis, & patrocinio tanti martyris nobilitata, nunc est primaria vrbs amplissimæ ditionis Leodiensis. Est autem S. Huberti corpus aliquanto post translatum in Arduennam, ad Andainum, celeberrimum monasterium, quod S. Borealis construxit tempore iam dieti Pipini Herstalli.

a. Imo constat ex historia per eius discipulum scripta.

SAXONUM ANTIQORUM PER ANGLOS CONUERSIO.

C A P. XVII.

Frisij.
Traiectini.
Hollandi.
Geldri.

SVb hoc principe, per Anglos, catholicam fidem receperunt Frisij, hoc est, ij qui nunc dicuntur Traiectini, Frisij, Groningenſes, Transſielani, Hollandi, & Geldri.

Sanctus quippe Egbertus iteratò attentauit aliquos ad Frisonum & Saxonum conuersionem destinare. Congregauit itaque duodecim Apostolicos viros, Willibordum, Switbertum, Accam, Wigbertum, Wilibaldum, Winibaldum, Lebinium, Ewaldum nigrum, Ewaldum album, Werenfridum, Marcellinum, & Adalbertum. Qui Dominici gregis Arietes, Traiectum appulerunt, anno sexcentesimo nonagesimo: & constanter Christū euangelizando, multos Deo lucrati sunt.

Ex his sanctus Willibrordus & S. Switbertus, communi fratrum decreto electi sunt, ut in episcopos consecrarentur. Quare Willibrordus à Pipino rege

rege missus est Romam ad Sergium papam, qui eum anno nonagesimo sexto Clementem transnominauit, & Frisonum archiepiscopum consecravit. Quem in tanto honore habuit Pipinus princeps, quod ei & successoribus regali donatione contulerit Traiectensem ciuitatem, cum omnibus appendicijs. In fundo basilicæ sancti Thomæ construxit cœnobitalium canonicorum collegium. In oppido Rhenensi fertur leuasse corpus sanctæ Cunerae. Laborauit etiam extra Frisiā. In Lotharingia enim, discipulas habuit, sanctas Herlindem & Relindem, sanctimoniales apud Maeſeike: quæ nunc Leodijs annumeratur. In Flandria conuertit Hulstenses, Axellanos, Hasnenses, Birfletanos. Treuiris, in ecclesia beatæ Mariæ ad martyres, instituit monasterium Benedictinorum: in quo altare afferuatur portatile, quo usus est in gentium conuersione. Epternaci apud Luxemburgos monasterium construxit celeberrimum, in quo sepultus est anno septingentesimo trigesimo sexto.

Sanctus Switbertus coëpiscopus sancti Willibrordi, consecratus est in Anglia, anno nonagesimo quinto: & multos conuertit in Traiectensi patria, Hollandia & Geldria, potissimum Wj., Haelsteyn, Alcmariam, Waterlandiam, Gorcomium, Bommeliam, Tielam, Huesdam, Buram, Batuam, & alia loca. Nominatur Apostolus Teisterbandiæ, Westphaliæ & Boructuariorum. Obiit anno septingentesimo decimo, sepultus in Werda Cæsaris ad Rhenum, ubi monasterium construxerat, ex thesauro principis Pipini, cui præfecerat sanctum Villeicum, euangelicum sacerdotem, Canonicum conuentus nouellæ Traiectensis ecclesiæ.

CHRONICA

Acca, in Angliam abiit cum sancto Switberto,
quando is in episcopum Frisiæ consecratus erat:
sed redeunte Switberto ipse ibi retentus est, & in
episcopum Lindisfarnensem consecratus.

Wigbertus, in Fostilandia Frisijs contermina
scribitur martyrizatus, à Radbodo Frisonum re-
ge, iam pridem per Pipinum expulso. Idem fer-
tur occidisse S. Engelmundum martyrem.

Sancti fratres germani Wilibaldus & Wini-
boldus Aistadium cōmigrarunt ad Germaniam.

*Transfise-
lans.*

Sanctus Lebuinus Transfelanos conuerit &
pud quos in Dauentria quiescit.

Sancti Ewaldi Nabiam introēuntes, Christum
confessi sunt, & ab antiquis Saxonibus glorio-
so martyrio coronati.

Sanctus Werenfridus multum populum ad
fidem conuerit, potissimum in Westervoert apud
Arnhemium, & in Elte, apud Neomagum.

*Trenta.
Twenta.*

Sanctus Marcellinus sexaginta quinque annis
indesinenter prædicationibus & conuersioni-
bus gentium infudauit, potissimum in Trenta,
Twenta, Oudenzeel, & Dauentria.

Kenemaria

Sanctus Adalbertus Leuita, & primus Traie-
ctensis archidiaconus, fidem prædicauit, potissi-
mum in Kenemaria, in qua corporalis quietis lo-
cum habet Egmondanum monasterium: circa
quæ tempora etiam Ingelmundus presbyter An-
glus, & ordinis S. Benedicti abbas, Kenemariis
verbum vitae administravit. Et post multos labo-
res quietem in Velsen accepit temporalem.

Habuit etiam S. Willibrordus in Frisonum
conuersione cooperatorem sanctum Vulframnū,
episcopum Senonensem. Is enim anno septen-
gentesimo, cum licentia Childeberti regis, & Pi-
pini

pinī principis, Frisonum genti quinque annis in-
fatigabiliter prædicauit, & multos, abrenunciata
sorde idololatriæ, fidei fonte abluebat.

Circa hæc tempora in Gela martyrium per-
pessa est ob castitatem sancta virgo Dympna Hy-
berna à proprio genitore, cum presbytero sancto
Gereberno: & apud Tungros sanctus Euermarus
cum socijs.

Venerunt præterea ex Scotia ad Pipinum S.
Wiro episcopus, sanctus Plechelmus episcopus,
vterque Romæ ordinatus, & S. Otgerus leuita:
quos summa veneratione excoluit, & locum ha-
bitionis eis dedit Petrimontem apud Rure-
mondam. Wironem autem & communibus con-
sultationibus adesse voluit, & confessarium suum
habuit.

Sancti Vrsmari Lobiensis abbas Apostolatus.

C A P. XVIII.

Ab eodem Pipino principe sanctus Ursma-
rus episcopus per interuentum sancti Hi-
dulphi principis Lobiensis, monasterium Lo- Lobiū mo-
biense regendum suscepit, anno sexcentesimo nasterium.
nonagesimo octauo. Qui multos ad fidem con-
uertit in partibus Hannoniæ, Fania & Theoracia, Fania.
item in Flandria, potissimum in finibus Meta-
pum, ut veteres loquebantur. Vnde dictus est A-
postolus Theoraciæ, Flandrensiuum, & Menapen-
siuum. In Fania discipulum habuit S. Dodonem.
In Flandria Aldo donauit ei Aldenburch, de suo
vocabulo dictum: ubi in honorem beati Petri
ecclesiam consecravit, quatenus beatus Aposto-
lus Flandrensis & Menapibus patrocinaretur.
Obiit anno septingentesimo decimo tertio. Cui

O o 3 successit